

Var. γ, reducta m.: Superne pallidissime livida, testacea, solum scutello medioque corii fuscescentibus, cuneo pallidissimo, subalbido, solum extremo apice nonnihil obscuriore. (Sec. Puton, mihi ignota.)

Var. δ, rubicunda m.: Corpore inferne toto, capite pronotoque pallide lividis, scutello hemielytrisque pulchre roseis, illo linea obsoleta media longitudinali apiceque pallidissime lividis, his limbo exteriori corii cuneoque pallide lividis, margine interiore cunei usque in apicem rubro. ♀.

Insula Madera, D. Noualhier (coll. Puton).

Ps. varianti (Mey. et H. Sch.) affinis et ut ille variabilis, sed minor et multo brevior, magis nitidus, oculis maris minoribus, utriusque sexus sublaevibus, vertice maris latiore cuneoque saltem interne usque in apicem colorato distinguendus. *Ps. molli* M. et R. statura magnitudineque similis, differt autem oculis multo subtilius granulatis, sublaevibus, femoribusque parcius punctatis. Caput basi pronoti $\frac{2}{5}$ (♂) vel fere duplo (♀) angustius, vertice oculo fere duplo (♂♀) latiore, gula brevissima. Antennae articulis duobus ultimis fuscescentibus, articulo tertio secundo circiter duplo brevior (♂). Pronotum basi longitudine duplo latius. Hemielytra abdomen sat longe (♂) vel brevius (♀) superantia. Pedes ut superne describitur colorati; tarsis posticis articulo tertio secundo longitudine aequali, aroliis medium unguiculorum attingentibus.

15. *Psallus instabilis* n. sp.

Oblongus, olivaceo-nitidus (pilae detritae), colore varians nigricans vel cinerascens et saepe sanguineo-tinctus; antennis utriusque sexus totis nigris, articulo secundo margine basali pronoti parum longiore (♂) vel circiter $\frac{1}{5}$ brevior (♀), duobus ultimis simul sumtis secundo distincte brevioribus (♂); pedibus albidis, femoribus anticis versus apicem punctis praecipue marginalibus, intermediis densius nigro-punctatis, posticis superne punctis tribus magnis marginis anterioris duobusque posterioris nec non punctis 2—3 discoidalibus oblique positis, inferne punctis magnis nigris ad partem confluentibus notatis,